



Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Dominica Quinquagesimæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

Dominica Quinquagesimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Ecce! ascendit Jesus in Jerusalem, ut tradatur gentibus, illudatur, & occidatur. Ubi autem comites? ubi imitatores? sequitur nemo. Totus vix non mundus his Bacchanalibus stat contra Jesum. Condoleamus, fili mi! & sequamur euntem.

Instructio meritoria.

Quorūsum? ad conversationem sanctam, & immaculatam, *sobrietatem*, & *pietatem* vivendo, & consuetis precibus aliquid superaddendo, nim. *Rosarium Dolorosum*, ut piæ animæ inflammentur erga Jesum; impii autem se convertant ad Dominum. Charitas his impetrabit majora.

II.

Cæcus inclamat Dominum pro oculorum salute, increpant alii. Clamare non cessat ille. Sic ludit firma in Deum confidentia. Fili! ita agendum in via virtutis. Nunquam h̄ic ceden-

B s dum.

dum. Non enim primo cadit arbor ab i&tu. Tu contrà audentior ito. Cecidisti? iterum surge. Et si centies, centies revertere. Ita jubet constans de Jesu Confidentia.

Instructio meritoria.

O fides! spes! & Charitas! quām estis necessariæ homini! & tamen tam rara vestrūm memoria. Ut saltem in nostris radicentur cordibus, 30. *Pater & Ave* coram aliquo Crucifijo recitemus. Aperta cernimus vulnera: Et non credamus? speremus? diligamus? sine fide, spe, & dilectione vivimus mortui. Hæc autem non vita, sed mors est.

III.

Quanta stultitia! impietas quanta! his diebūs velle vivere liberiùs, licentiùs, & effusiùs qui tamen ne- scimus (teste Hadriano Papa) quando, vel pro quanto scelere deseramur à Deo.

Instructio meritoria.

Aliud monitum est S. Augustini: *De- precanda potius est misericordia Dei, ut donet intellectum ad ista damnanda, & affe-*